

tus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro con-  
 dit. In palatos populatores quum erupissent ab An-  
 tigonea armati, fugientes eos persequentes effusius  
 in vallem insessam ab hostibus praecipitant. Ibi ad  
 mille occisis, centum ferme captis, ubique prospere  
 gesta re, prope stativa Appii castra movent, ne qua  
 vis sociis suis ab Romano exercitu inferri possit. Ap-  
 pius, nequicquam in his locis terens tempus, dimissis  
 Chaonumque, et si qui alii Epirotae erant, praesidiis,  
 cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per  
 Parthinorum socias urbes in hiberna militibus dimis-  
 sis, ipse Romam sacrificii causa rediit. Perseus ex  
 Penestaram gente mille pedites, ducentos equites re-  
 vocatos, Cassandream, praesidio ut essent, misit. Ab  
 Gentio eadem afferentes redierunt. Nec deinde alios  
 atque alios mittendo tentare eum destitit, quum ap-  
 pareret, quantum in eo praesidii esset; nec tamen  
 impetrare ab animo posset, ut impensam in rem ma-  
 ximi ad omnia momenti faceret.

---

EPITOME LIBRI XLIV.

*Q. Marcius Philippus per invios saltus penetravit  
 in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rho-  
 dii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio  
 futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque  
 amicitiam iungeret. Indigne id latum. Quum id  
 bellum L. Aemilio Paulo, sequentis anni consuli ite-  
 rum, mandatum esset, Paullus, in concione precatus,  
 ut, quicquid diri populo Romano immineret, in do-  
 mum suam converteretur, et in Macedoniam profe-  
 ctus, vicit Persen, totamque Macedoniam in potesta-  
 tem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gal-  
 lus tribunus militum praedixit exercitui, ne mirare-  
 tur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gen-*

*tius quoque rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio praetore victus, venit in deditioem, et cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus est. Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemaeo regibus venerunt, queres de Antiocho rege Syriae, quod his bellum inferret. Perses, sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat, ab iis relictus est.*

---

T. LIVII PATAVINI  
LIBER XLIV.

Principio veris, quod hiemem eam, qua haec gesta sunt, insecutum est, ab Roma profectus Q. Marcius Philippus consul cum quinque millibus, quod in supplementum legionum secum traiecturus erat, Brundisium pervenit. M. Popillius consularis et alii pari nobilitate adolescentes tribuni militum in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies et C. Marcius Figulus praetor, cui classis provincia evenerat, Brundisium venit: et simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniae portum tenuerunt. Inde consul, ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Praetor, superato Leucata, Corinthium sinum invectus, et Creusae relictis navibus, terra et ipse per mediam Boeotiam (diei unius expedito iter est) Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palaepharsalum habebat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, et sociis cum fide cultis, et ab omni genere